


LVNÆ DIE 17 M. FEBRVARII A. 2014

A.d. XIII Kal. Martias a. MMXIV

178

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIS
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128

DE FACIE BONA

– *scripsit Francisca Deraedt* –*Vestis virum facit.* Ad. 2060

Mens sana in corpore sano.¹ Nemo nescit utramque hominis partem similiter esse curandam: quæstio est, non solum sanitatis, sed etiam respectus, et ceterorum et sui ipsius. His tamen temporibus nostris, quibus facies locum obtinet maiorem et maiorem, vetus adagium ita mutari videtur, ut fiat «mens pulchra in corpore pulchro».

In televisione, in diariis, in præconiis, ubique obtundimur colendam esse faciem bellam et iuvenilem. Nec solæ his cantilenis capiuntur puellulæ falsa pulchritudine allæctæ, sed omnis fere vir aut femina, qui in hominum societate locum habere vult suum: tanta facta est formæ tyrannis.

Perfectis studiis, quæris munus? Utinam ne tibi sit pondus nimium, statura brevior, aures longæ, manus humidæ: nam pulchriores etiam iudicantur doctiores necnon amabiliores et faciliores. In hac re feminæ et viri nunc facti sunt competitores: e tempore enim quo legibus, diplomatis et doctrina æquales facti sunt aut saltem facti esse dicuntur, utrisque ut prosper sit exitus idem telum est temptandum: venustas.

At eheu venustas, teste Ovidio, non omnibus datur: «Forma dei munus...».² Quid tum? Arte decertandum, quod neque illo tempore poeta negavit: «Quo non ars...».³ Si tamen Metamorphoseon auctor sciret quibus artibus nunc fiant corporis metamorphoses, valde, valde miraretur...

Sæculo præterito chirurgia æsthetica reservabatur atricibus. Neque erat res nobilis, neque bonaæ societati consentanea. Annis quinquagesimis, ut exemplum afferram, fama ferebat quandam comitissam Hispanam, Fabiolam de Mora y Aragón nomine, futuram Belgarum reginam, nasum curavisse reficiendum quo regi suo magis placeret. Qui rumor apud nos adhuc manet secretum statale. Certe, bone lector, tibi consentio in vita maiores esse quæstiones, quam ut sciamus num reginæ nasus refectus sit necne – quamquam: de eo Cleopatræ non pauci docti diu locuti sunt. Sed serio, id quod ante pauca decennia pudendum videbatur nunc ita factum est commune, ut monstrum mox iudicetur is aut ea, quæ nondum ullam corporis partem curaverit meliorandam.

Tot enim offeruntur miracula, nec semper ingenti pretio. Esne lassus humida macula, quæ sub axillis vestem tuam deformat? Remedium tenes: toxinum botulinicum, præter alias virtutes, etiam inhibit glan-dulas sudoripares, saltem per nonnullos menses. Estne tibi filia adulescens? Tum timendum est ne capiatur novo studio sive furore, quo nulla non est capta, morbo dico *Thigh gap* vocato, quo omnes idem servare volunt spatium inter femora, quod habuerunt cum

decem annos essent natæ. Ad hoc duo remedia: sive anorexia, sive scalpellum. Ecce etiam *Lipofilling*, i.e. regyratio propria: nihil perditur, omnia recuperantur. Adeps alio loco tollitur, ubi tibi nimius esse videtur, alio loco reponitur, ubi paulo rotundior esse cupis. Atque homines hoc æstheticæ æstu magis magisque deferuntur: Britanna quædam filiolæ suæ septem annos natæ offert adiposuctum necnon mammarum protheses, pueri Poloni ad celebrandam primam eucharistiam accipiunt aurium chirurgiam, quin etiam Iapones eo consilio mutandas curant palmarum lineas, ut fatum subterfugiant... Parvam sectionem chirurgicam fortunam tuam posse deludere, di boni...

His condicionibus nolimus mirari, quod commerciales fiunt abusus. Hoc quidem novum non est: omni enim tempore homines astuti quæstum fecerunt ex æqualium insipientia. Atque, ut est in Ecclesiasta, «stultorum infinitus est numerus»⁴ sive, ut ait Cicero, «stultorum plena sunt omnia».⁵ Nescio, bone lector, num tibi mundum, in quo vivimus, contemplanti, etiam nonnumquam videaris vetus esse dinosaurus, qui Latinitatem colas, linguam «eo utilem, quod nulli rei est utilis»... Feliciter autem librum aperimus, et tota mundi stultitia evanescit. Quid ergo dulcius, quam in angulo sedere cum libro... ☺

1. Juv. X, 356.

2. Ov. Ars III, 103.

3. Ov. Ars III, 291.

4. Ecc. 1:15.

5. Fam. IX, 22, 4.



Nostris diebus antiqua Venus Villendorfiana non proponitur ut formæ exemplum. Quamquam in ea etiam multos agnoscimus e nostris æqualibus. Faciem curant alii nimium, alii parum. O tempora! (Wikimedia)

DE HODIERNO LATINITATIS VIVÆ STATV SIVE DE DISSENSIONE EVITANDA

– *scripsit Christianus Laes* –

Ecce, res mira atque quodam modo inopinata. Die 16 mensis Martii anno 2013 in conventu docto Amstelodami habito Aloisius Miraglia, sodalis Academiæ Latinitati Fovendæ, linguae Latinæ peritissimus quo vix melior possit inveniri, præstantissimus præceptor tam puerorum quam adulescentium, orationem protulit «De causis corruptæ institutionis Latinæ» in qua affirmat se linguam vivam odisse, linguam mortuam vero diligere. Maximum emolumentum linguae Latinæ in eo esse ut auctores scriptaque tot sæculorum melius penitusque cognoscamus. Invehit in circulos Latinos qui Latinitatem vivam colunt, quorum sermones «ioca, nugas, garrimenta» appellat. Altera autem ex parte etiam increpat philologos qui «præpostera atque absurdæ sua diligentia et molestia quidem» nimis erudite atque superbe, modo quodam sterili linguae Latinæ studeant.¹ Quas sententias ægre tulit Gaius Licoppe, sodalis conciliarius eiusdem Academiæ, vir in provincia linguae Latinæ optime emeritus, fautorque Latinatis Vivæ strenuissimus atque indefatigabilis.²

Qua in dissensione inter viros doctos, quamquam nullatenus displicet dummodo adversarii bonis argumentis nullisque inimicitii inter se disputent, nonnulla annotanda esse puto, cum ambo sodales iidemque amici optimi partim bene arguisse mihi videantur, partim autem non ita recte. Sunt enim quæstiones satis intricatae de quibus agebatur, in quibus certe valet illud «rem tene, verba sequentur». Antequam ergo dissentiamur, oportet bene scire de quibus rebus acturi simus.³

1. LINGUA LATINA AN SIT ‘UTILIS’

Utilitatem institutionis linguae Latinæ valde defendit Licoppe, locos quosdam sumens ex symbola illius Iohannis Capelle, conditoris motus Latinitatis Vivæ: illis temporibus – scribebat Capelle anno 1959 – id quod utile non esset mox e programmatibus scholasticis tolli; oportere ergo utilitatem linguae Latinæ demonstrare, quippe cum eius institutio adiuvaret educationem scientificam.⁴

Sed estne lingua Latina nunc temporis revera utilis? Procul dubio erat utilissima usque ad duodecim sæculum, idque variis condicionibus vitæ: in cursu honorum nempe ecclesiastico necnon politico (præsertim apud legatos), in negotiis commercialibus, in rebus interdum viatoriis. Constat enim viros doctos sæculis sexto et septimo decimo (et interdum etiam postea) talibus in occasionibus non semel Romanorum sermone usos esse, instrumentum communicationis quo melius tunc temporis extare non potuit.⁵ Saltem in Belgio usque ad annos quinquagesimos sæculi præ-

teriti utilitas etiam in eo erat quod accessus ad studiorum universitatem omnino negabatur eis qui sectionem Græco-Latinam in gymnasii non participaverant.

Cum non iam valeant tales rationes nostris temporibus, periculum est ne argumenta utilitatis invicem contra linguam Latinam adhibeantur. Si linguae Latinæ tantummodo studemus ut instrumentum aptum communicationis nobis acquiramus, iuste meritoque licet rogare num potius iisdem argumentis practicis usi lingua Anglicam in deliciis habituri simus.

Ast certe quidem facile concedere possumus esse utilitatem in institutione linguae Latinæ, cum exerceantur et memoria et iudicium, quin etiam acuatur mentis subtilitas et augeatur facultas scriptorum interpretandorum. Eodem temporis momento firmiter credo nos talibus utilitatis argumentis usos, nemini esse persuasuros, quos nondum ad studium linguae Latinæ attraximus. Eadem etiam dici possunt de lingua Russica, cuius est ingens copia loquentium, grammatica subtilis, litteræ pulcherrimæ. Commodum linguae Latinæ contra magis in eo situm est quod studentibus portæ patent ad tot tantasque provincias cultus civilis Europæ (et etiam aliarum regionum) per tot sæcula: poetas dico, philosophos, theologos, oratores, historiarum scriptores, artes, mythologiam, ius civile, theatrum, medicinam, et ita porro. Quod si quis sese his argumentis victum non det, libenter addam tot esse res in vita humana quæ, licet utiles vix sint, vitam certe meliorem reddere possint, ut musicam, libros pulchros, quidni cogitemus etiam de picturis vel ædificiis, de spectaculis, de arte athletica?

Humanitas quam tam strenue defendit Aloisius Miraglia melior ergo via esse videtur ad Latinitatem defendendam quam utilitas quæ Gaio Licoppe multisque fautoribus Latinitatis Vivæ ita cordi est.

2. LINGUA LATINA AN ‘VIVA’ DICI POSSIT

Valde autem dolendum est quod ambo sodales atque amici doctissimi temptantur ut iterum de statu linguae Latinæ, id est utrum ea viva an mortua recte appelletur, disceptent. Qua de re plane et aperte profrendum est hoc: sermo Latinus neque vivus neque mortuus est.

Si quis enim apud linguarum peritos hodiernos confirmat linguam Latinam esse vivam, sine dubio nugas, ineptias, quisquiliias effutire videbitur. Iam ex temporibus Imperii Romani grammatica vix iam mutatur – ingens sane commodum quo Romani antiqui sine difficultate textus Latinos hodiernos intellegent, quodque nobis invicem aditum præbet ad ingentem

QVÆSTIONES LATINÆ

copiam scriptorum per plus quam viginti sæcula – sed talis condicio non pertinet ad linguas vivas quæ dicuntur. Appellatio autem linguæ mortuæ originem habet sæculo sexto decimo apud detrectatores sermonis Romani, radices etiam habet in scientia biologica, ubi genera certe animalium, arborum, florum oriuntur atque etiam exstinguuntur.⁶ Denominatio mortis certe linguæ Ægyptiacæ vel Gothicæ melius convenit, quarum traditio aliquo temporis momento est interrupta, vix autem apta est linguæ quam semper adhibebant homines, licet nonnumquam essent pauci, nullo die interrumpo inde ab excidio Imperii Romani. Unde ego malim dicere linguam Latinam esse linguam cultus civilis, vinculum inter gentes – id quod libenter confirmo ambiguitate status mortui vel vivi prætermissa.

3. QUID SIGNIFICET ‘LATINE NOSSE’

Nostris temporibus, ubi semper et ubique spectatur utilitas, ille qui confirmat se plures linguas callere, sæpe significat se his linguis loqui posse. Constat tamen inter peritos diversos exstare scientiæ gradus qui pertinent ad quamlibet linguam, ita ut non modo ille qui salutare valeat, res emere possit vel de tempestate sententiam suam proferre sciatis, sed etiam ille qui scripta interpretetur vel elegantiam in scribendo exhibeat, talem linguam ‘novisse’ iuste meritoque dicatur. Quæ condicio etiam vigebat temporibus humanisticis, cum multi viri docti se varias linguas easque sæpe antiquas scire profitebantur, qua sententia facultatem præsertim scriptorum interpretandorum significabant. Hanc ergo traditionem secutus, Aloisius Miraglia quadam ex parte recte vituperat morem sive temptationem ut de Coca Cola atque de rebus recentissimis Latine loquamus, eaque re ‘veram scientiam’ linguæ Latinæ significari censeamus.

Eodem autem temporis momento inest periculum non parvum in hoc arguento – periculum scilicet ne natura ipsius linguæ in oblivionem ducatur.

Tot sæculis elapsis, semper variae Latinitates erant et exstabant. Peregrinatio illius Egeriæ, sermones variorum patrum ecclesiasticorum, Vulgata illa ab Hieronymo confecta (qua nullum scriptum in historia occidentali plus legebatur), poesis mediævalis, Latinitas Thomæ Aquinatis – hæc omnia quamquam sive plus sive minus peccant in grammatica aurea quæ dicitur inter monumenta ære perenniora nostri cultus civilis sunt numeranda ideoque summo studio et gaudio sunt perlegenda. Ne dicam de differentiis quæ sunt in genere ipso scribendi, utputa apud hodiernos Latinitatem simplicem, pedestrem, lepidam atque elegantem

Sigridis Albert, Franciscæ Deraedt atque Gaii Licoppe, linguam Latinam auctores patristicos redolentem apud Cælestem Eichenseer, genus quoddam medium Andreæ Fritsch vel Tuomonis Pekkanen, grandem illum stilum eumque pæne Ciceronianum sive Erasmianum Theodorici Sacrè, Valafridi Stroh atque ipsius Aloisii Miraglia – ut paucos tantum enumerem. Quin etiam, Latinas dependet ex rebus ipsis de quibus agitur. Inest enim naturæ ipsius linguæ et naturæ humanæ illud desiderium ut de omnibus vita rebus colloquamur et scribamus. De rebus philosophicis, scientificis, politicis, technicis, medicis, culinariis semper homines Latine agebant – et procul dubio adhuc iuvat quotienscumque occasio postulat. Traditio neologismorum creandorum initium habuit apud Ennium et Ciceronem, neque umquam est interrupta, atque etiam hodie variis in institutis necnon variis in circulis scite apteque adhibetur. Non est causa cur hanc viam spernamus – quin etiam oportet tali modo pergere. Hæc rectissime certe autumnat Licoppe.

4. LATINITAS VIVA UTRUM AD INSTITUTIONEM HODIERNAM PERTINEAT

Nuperrime in commentariis doctis *The Classical World* de methodo viva linguæ Latinæ addiscendæ severe diiudicat H. Wingate, inter alia dicens nimis magnum spatium consumi in lingua vivo modo addiscenda; eaque de causa occasionem deesse ad multas res maioris momenti, cultum scilicet civilem necnon historiam antiquam, adumbrandas; neminem umquam demonstravisse facultatem Latine cogitandi revera adiuvare in scriptis antiquis intellegendis; neminem deprivari posse facultate in sua ipsis lingua cogitandi; ceterum homines non facile adduci ut lingua ‘mortua’ loquerentur.⁷ Qua in re, valde dolendum esse censeo quod ille Wingate ne ullam quidem mentionem fecit Andreæ Fritsch, qui iam ante viginti fere annos de Latinitate Viva in institutione adhibenda bonas cogitationes protulerat, neque experimentorum fructiferorum tam studiorum Universitatis Kentuckianæ, quam Scholæ Novæ Belgicæ atque Vivarii Novi Italici – ubi et discipuli et studentes id docentur ut Latine scribant, cogitent, intellegant, sententias etiam proferant.⁸ Ignorat etiam Wingate illam regulam quam Quintilianus ipse apte expressit, quod facultatem in usu linguæ tribus modis paratur, id est legendo, scribendo, loquendo (Quint. *Inst. 10.1.1-2*).

Quamquam ego firmiter credo usum quandam in lingua discenda pernecessarium esse, ut studentes gradatim quasi in medellam sermonis intrent et pene-

trent, una tamen res sæpius ab defensoribus Latinitatis Vivæ prætermissa mihi esse videtur. Lingua Latina scripta, præsertim in scriptis poeticis verumtamen etiam in omnibus textibus cultioribus, multo plus dif- ferebat a sermone cottidiano, quam litteræ vernaculae hodiernæ a loquela ipsa distant. Ex eo quod aliquis sententias satis bene Latine profert, non semper sequitur ut is scripta Latina antiqua sat expedite legere valeat. Immersio ergo linguæ Latinæ id semper curare debet, ut idioma sive proprietas linguæ scriptæ obser- vetur, ut studentes hodierni caute animadvertiscant quæ sint differentiae inter sermonem suum atque morem scribendi Latine. Quod si non fit, periculum est ne exercitatio Latine loquendi in vanum ducatur. Accedit autem quod hodie fere nulli magistri in gymnasiiis neque professores in academiis Latine loquuntur – unde efficitur ut institutio ‘activa’ linguæ Latinæ, neque more magis litterato ut propagat Miraglia, neque sensu latiore ut defendit Licoppe, nunc temporis in scholis plerumque vix exerceri possit. Aliæ viæ sunt sequendæ, de quibus in ultima sectione agetur.

5. ACADEMIA LATINITATI FOVENDÆ QUOMODO IN HAC QUÆSTIONE ADIUVARE POSSIT

Si quis de lingua Latina ut vinculo inter gentes in- stauranda cogitat, oportet recordetur linguas in deliciis haberis de causis sæpe inter se mixtis, cum sint rationes œconomicæ, politicæ, religiosæ non parvi momenti, necnon desint causæ quæ pertinent ad pondus cuiusdam cultus civilis, ad artes, et ita porro. Quibus de rebus optime scripsit vir doctus Petrus Burke, inter alia asseverans non tam esse inquirendum cur sermo Tuscus apud nobiles Italos primus evaserit, sed potius quare illi nobiliores necessitatem senserint lingua communi inter se communicandi et coniugandi. Leges quæ pertinent ad linguas plerumque post factum sunt creatæ, et raro tantummodo fit ut legibus impositis aliqua lingua foveatur. Favor ergo cuiuslibet linguæ magis spectat ad mores quam ad regulas a quibusdam hominibus diligenter elaboratas.⁹

Bene descripsit Licoppe industriam atque incepta quorundam fautorum Latinitatis Vivæ, quo factum est ut anni octogesimi ‘ætas aurea’ Latinitatis Vivæ fuerint. Adiungit autem aliis in provinciis nullum pro- gressum esse factum, linguam Latinam non inter linguis Communitatis Europæ esse acceptam. Ego autem addam spem nullo modo esse deponendam, cum hodie exstant facultates quæ ante triginta annos omnino ignotæ fuerint. Florent adhuc circuli Latini necnon seminaria Latina, homines multo facilius per interrete inter se coniunguntur, sua sponte ea colunt quæ illis sunt gaudio queaque illis placent.¹⁰ Sic saltem inter illos lingua Latina fit verum vinculum inter gentes. Utinam hoc exemplum, hoc gaudium aliis sit incita- mentum – magistris atque philologis præsertim, viris

politicos fortasse – ne fiat autem somnus in quo pericu- lum exstat ne, cum spes ad finem perduci non possit, labor tam iucundus irritus atque cassus esse videatur.

Hac ergo oportunitate temporis, ut ita dicam, uta- tur Academia Latinitati Fovendæ, quippe quæ nunc facilius quam umquam illos qui linguam Latinam vivo modo colunt inter se coniungere possit, per interrete, per scripta, etiam conventibus institutis necnon conventiculis adiuvandis. Quæ Academia oportet sit et Latina et docta. Latinam dico pleno sensu, id est etiam in Latine scribendo et loquendo, in scriptis Latinis recentioribus existimandis necnon neologismis diudi- candis, in usu huius linguæ pulcherrimæ propagando quotienscumque occasio id postulet. Quod si non fit, non differt ab aliis institutis doctis, neque causam habet cur exstet – ut rectissime animadvertisit Licoppe. Sed etiam docta sit oportet, humanitatem illam, artes, litteras atque cultum civilem, traditionem plus quam viginti sæculorum diligenter colat, ne fiat institutum ‘technicum’ ubi tantum de novis vocabulis fingendis vel methodis Latinatis Vivæ propagandæ disputetur. Hac ergo in re Miraglia sequamur.

Ad concludendum lectoribus libenter offero hanc cogitationem meam: ambæ sententiæ – animadver- siones Aloisii Miraglia atque responsa Gaii Licoppe – sunt varii aspectus eiusdem rei, linguæ Latinæ scilicet multimodis colenda. Necessarium vix est inter nos dissentire. Viribus unitis, differentiis inter nos etiam agnitis et observatis, gaudia ingentia percipiamus e stu- dio nostro, gaudia scilicet Latina! ☩

-
1. http://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo
 2. G. Licoppe, «De hodierno Latinitatis Vivæ statu», in: *Melissa* 177 (2013) 1-2.
 3. Optimus quidem conspectus historicus necnon criticus de rebus ad Latinitatem Vivam pertinentibus, præbetur apud V. Stroh, *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer grossen Sprache* (Berolini, 2007) 290-307.
 4. J. Capelle, «Le latin ou Babel», in: *Premier Congrès International pour le Latin Vivant* (Avennione, 1956) 9-11.
 5. Quam rem, iucundis fabulis illustratam, explanat T. Tunberg, *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi sæculis XVI et XVII coluerunt* (Lovanii, 2012) 79-80. Ceterum libri lectu dignissimi de hac re sunt P. Burke, *The Art of Conversation* (Cantabrigæ, 1993) 34-65 (in his paginis de lingua Latina tractatur), et P. Burke, *Languages and Communities in Early Modern Europe* (Cantabrigæ, 2004) 43-60 (de lingua Latina).
 6. Burke (2004) 20-23.
 7. H. Wingate, «The Natural Method of Teaching Latin: Its Origins, Rationale, and Prospects», in: *The Classical World* 106, 3 (2013) 493-504.
 8. A. Fritsch, *Lateinsprechen im Unterricht* (Bambergæ, 1990).
 9. Burke (1993) 66-88 («Language and Identity»). Certe, lingua quidem Francogallia in Francogallia vere imposta est lege et vi, sed hoc tantum post-quam classis quædam socialis censuit hanc linguam imprimis esse amplectendam.
 10. Situs interretiales variables cum sint, ego suadeam ut lectores inspiciant http://la.wikipedia.org/wiki/Latinitas_viva – quo accessus fit facilis.

DE HIEROSOLYMITANO NOSOCOMIO ORDINIS HOSPITALIS

– *scripsit Gaius Licoppe* –

De hoc maximo nosocomio «Ordinis hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani»,¹ a Fratre Raimundo Podensi (*Raymond du Puy*) posteriore dimidia parte duodecimi saeculi exstructo (inter 1153 et 1155), pauca scripta ad nos pervenerunt; ex his præcipue citanda videntur ea Villelmi Tyrii (*Guillaume de Tyr*), Iohannis Herbipolitani (*Würzburg*), et cuiusdam Theodorici.

Hoc nosocomium videtur ita fuisse sumptuosum, ut non pauci stomacharentur viatores; sic sentit Villelmus Tyrius, clarus chronicographus, qui in *Historia rerum in partibus transmarinis gestarum* scripsit hæc: «Nam ante Sanctæ Resurrectionis ecclesiæ ianuas in ipsius contemptum et contumeliam ecclesiæ ædificia cœperunt erigere multo sumptuosiora et sublimiora plurimum quam haberet illa ecclesia, quæ domini Salvatoris in cruce dependentis pretioso dedicata est sanguine et ei post crucis patibulum in se ipsa gratissimam præstítit sepulturam.»

Alius testis est clericus Iohannes Herbipolitanus, qui in Terram Sanctam inter annos 1165 et 1170 peregrinatus est. In itineris narratione dicit in hoc nosocomio multitudinem virorum et feminarum cottidie curari necnon ali magnis sumptibus; tempore, quo nosocomium invisit, duo milia hominum curabantur, quorum quinquageni circiter cottidie moriebantur, novis statim succendentibus. Tantas esse Ordinis hospitalis divitias, ut insuper permulta eleemosynæ pauperibus foris distribuerentur. In eius narratione leguntur hæc: «... Hospitale, in quo per diversas mansiones maxima multitudo infirmorum tam mulierum quam virorum colligitur, fovetur et maxima expensa cottidie reficitur, quorum summam tunc temporis cum essem præsens ab ipsis servitoribus hoc referentibus ad duo milia languentium fuisse cognovi, ex quibus aliquando infra noctem et diem plus quam quinquaginta mortui exportantur, iterum atque iterum pluribus de novo accedentibus. Quid plura? Eadem domus tot homines tam extra quam intus suis sustentat virtualibus, præter infinitam eleemosynam quæ cottidie datur pauperibus ostiatim panem quærerentibus et extra manentibus, quod certe summa sumptuum nequaquam ab aliquo discreto scire volenti potest modo aliquo deprehendi, etiam ab eius domus dispensatoribus et procuratoribus, qui valde sunt devoti servitio eleemosynæ faciendæ infirmis et gentibus venientibus undecumque. Præter horum omnium siquidem expensam tam [in] infirmis quam in pauperibus aliis factam eadem sancta domus multas universis militaribus rebus instructas pro defensione terræ Christianorum ab incursione Saracenorū passim per castella sua sustentat personas.»

Cuius magnificentiæ testis est Germanus quidam

peregrinus Theodoricus nomine, qui Loca Sancta circa annos 1169-1172 invisit; ille etiam miratur sumptuositatem nosocomii, multitudinem lectorum, ciborum copiam. In opere c.t. *Peregrinationes tres* scribit inter alia hæc: «Quæ quantis ædificiis decorata, quantis domiciliis et lectulis atque aliis utensiliis in usus pauperum et infirmorum atque debilium exhibendis abundans, quam in substantia pauperum recreationibus impendenda locuples, quam in ipsa egenorum sit sustentatione sollicita, nullus alteri verbis fidem posset facere nisi ipse propriis hoc oculis valeret deprehendere. Siquidem transeuntes per palatum numerum simul accumbentium nullo modo quivimus discernere, lectorum vero numerum millenarium vidimus excedere, nec enim quisquam regum vel tyrannorum præpotens tantos, quantos illa domus cottidie posset sustentare. Nec mirum; nam præter ea quæ in exteris possident terris, quorum non potest facile numerus comprehendendi, omnes fere civitates et villas ad Iudæam quondam pertinentes, a Vespasiano et Tito destructas, cum universis agris et vinetis tam ipsi quam Templarii sibi subiugaverunt, disposita per universam regionem militia et castris adversus paganos valde munitis.»

Theodoricus de nosocomii situ plura dicit quam Villelmus Tyrius; circumiacentia etiam describit: «Item sequitur confestim alia ecclesia ad orientem posita, quæ similiter dominæ nostræ exstat attulata eo, quod cum dominus noster crucis supplicium pro nostra salute pateretur, ipsa (...) in subterraneum specum perlata est, ubi dolori suo satisfaciens capillos capitis sui evellebat, qui adhuc in ipsa ecclesia in ampulla vitrea conservantur.»

Præter fontes, quorum nonnulla supra indicantur, uberior fons inventur in manuscripto *Clm 4620* Monachi servato, cui totus fasciculus extraordinarius Societatis historiæ patrimoniique Ordinis hospitalis dicatus est; anastaticum exemplar huius manuscripti duodecimi saeculi, lectu perdifficilis, in hoc fasciculo exhibetur. Nemo ante exiens vicesimum saeculum hoc manuscripto usus est; primus Bertholdus Waldstein-Wartenberg in libro *Die Vassallen Christi* anno 1988 edito nonnulla de manuscripto deprompsit, modo tamen nimis incerto. Postea Beniaminus Z. Kedar, historiæ professor in Hierosolymorum Hebraica Universitate, conatus est, nonnullis iuvantibus, partem manuscripti in litteras hodiernas transscribere, quamvis non deessent loca, quæ aut legere, aut intellegere non valeret. Alanus Beltjens, his partim acceptis, totum manuscriptum transscripsit et in Francogallicum vertit, id quod in nullam aliam linguam adhuc factum est. Opus etiam difficilius reddebat scribæ ignorantia et

HISTORIA

erroribus: repetitiones vocabulorum syllabarumve, verborum depravationes, gravia menda nocebant intellectui.

Nescimus quis fuerit auctor huius operis; cum Latine scribere valeat et citatis Ovidii, Horatii, Veteris et Novi Testamenti necnon Psalmorum eruditus dici possit, verisimiliter clericus est ignotæ nationis.

Scribit autem se in Ordinis hospitalis nosocomio aliquamdiu cohabitavisse; quod solum fieri potuit inter annos 1176-77, quibus decretum est ægrotantes pane silagineo alere, et annum 1187, quo Hierosolyma a Saladino expugnata sunt. Plura et accuratiora indicia de nosocomii vita affert, quam ceteri; hoc explicatur eius ipsius verbis: «Ideo paupertate, verae religionis vere exploratrice, mihi conscientia cunctis ignotus plebeo amictu velatus clientem componens, prædictam domum aliquamdiu cohabitavi, ut sic sublimium oculorum me non laterent offendicula et modica secreta facilius penetrarem recessus et ita vigilanti cura quanto diligenter potui latitante cum cautela fraternitatis domus illius unanimitatem indigui.»


Manuscripti textus in tres dividitur partes. Prima pars est prædicatio de caritate et narratio de nosocomii origine: primum «xenodochium», ut scribit, ab Amalfitanis conditum est. In secunda parte auctor fuse describit Hospitaliariorum ministrations et bona ægrotantibus pauperibusque præbita in xenodochio virorum et in xenodochio feminarum puerorumque. Tertia pars spectat ad derelictos pueros benigne receptos ac monstrat quanto emolumento etiam adultis valentibus sit xenodochium.

Tam mala est manuscripti lingua Latina, ut potius quam citata afferam, malim Alani Beltjens translatione et commentariis uti.

In secunda manuscripti parte fuse narratur instruc-
tio vitaque duplicis xenodochii. Post longam caritatis laudem in prima parte, non miramur quod pauperes ægrotantes tractantur ut «Domini»; omnes accipiuntur, præter leprosos, qui relegendur loco solitario; omnes etiam accipiuntur, i.e. non solum Christiani, sed etiam «pagani» (Mahumetani) et Iudæi. Ægrotantes, qui se movere iam non possunt, a famulis in xenodochium transportantur.

Advenientibus ægrotantibus divinum imprimis datur remedium: peccata enim sacerdotibus confitentur, dein salutifera pænitentia cælestique alimonia reficiuntur. Deinde aliquis frater eos patienter et benigne recipit et in «palantium» (hoc vocabulo utitur auctor) dicit, ubi in lectis tornatilibus, culcitis plumariis instructis, imponuntur ac villosis stragulis teguntur. Ne stragulorum vel frigoris asperitate lœdantur, accipiunt pallia sine pellibus; cum surgere debent ut naturæ satisfaciant, induuntur pellibus; etiam sericas soleas gerunt, ne pedes spurcentur aut frigore marmorei pavimenti afficiantur.

Ægrotantium palantium dividitur in undecim oecos, qui numerus duplicari potest, si augeatur ægrotorum



In hoc schemate ab Alano Beltjens, omnibus collectis indicis, delineato monstratur vicus (3), ubi erat Hospitaliariorum duplex xenodochium, Sanctum Sepulcrum et basilica Anastasis (1), introitus basilicæ Anastasis (12).

frequentia. Singuli oeci ab aliquo fratre custodiuntur; is ægrotos ad lectos prænotatos dicit eorumque vestimenta diligenter colligata servat. Unus frater totum oecum solus curare non potest; quare singulis fratribus adiunguntur 12 conducti auxiliatores, quos auctor vocat «clientes». Eorum officium est satis grave: imprimis debent ad lectos parandos culcitas in utrumque latus vertere, ne plumæ compressæ indurescant; postea lectos linteis sternere; ægrotos in lectos collocare et tegere; debilioresducere, quin etiam portare, quotienscumque necesse est; singulis afferre aquam, manutergium et panem. Duo panis genera fabricantur, panis cibarius omnibus destinatus et panis silagineus ægrotantibus reservatus; vinum, a famulis aquæ mixtum, a fratribus etiam apponitur. Sunt quoque duo genera culinarum, i.e. culina communis, ubi coquuntur cibi rudes, ut carno porcina aut arietina, et culinæ in quibus parantur delicatores cibi; cibi ministrantur a fratribus sororibusque, quibus diligenter scribendum est qui libenter comedant, qui non satis comedant, qui ne cibos quidem tangant; his adnotationibus nisi, statim eis, qui haud libenter videntur comedere, apponunt delicatores cibos, ut carnem gallinaceam vel agninem, columbas, perdices, ova, pisces... Præbentur quoque granata, pira, pruna, castanæ, amygdala, uvæ, ficæ passæ, varia holera et multi alii cibi, quos enumerare longum est.

Quattuor medici, quos auctor etiam vocat «practicos», curant suum quisque xenodochii vicum; omnia medicamina, quæ præscribunt, a fratribus affe-

runtur. Medici debent cottidie, mane et vespere, ægrotos visitare, urinam inspicere, pulsus qualitatem examinare. Medicum sequuntur duo clientes, quorum alter syropum,² oxymel,³ electuaria⁴ et alia medicamina portat, alter urinas ostendit, iudicatas abiicit, vasa urinalia emundat, eos quibus medicus diætam indixit diligenter notat atque «minutorem» ad ægrotos ducit aut ipsos ægrotos ad minutorem.

Sunt enim etiam «minutores»,⁵ quorum officium est sanguinem ægrotis minuere, et hoc quidem cottidie quacumque hora; ut medici, a fratribus conducuntur.

Secundum medicorum vetitum, sunt cibi, qui ægrotis numquam præbeantur: fabæ, lentes, crustata, murænæ necnon scrofæ; nam medici autumant humidas carnes femininas duriores, rudiores, viscosiores et stomacho graviores esse, quam carnes masculinas.

Xenodochium chirurgos («cyrugicos» in manuscripto) quoque conducit, qui vulneratos curent non solum in ipso xenodochio, sed etiam, tempore belli, sub tentorii ab Ordine hospitali proprius a pugnis instructis; inde ei, qui nondum sunt sanati, ad «hospitale» (sic in manuscripto) vehuntur camelis, equis, mulis vel asinis.

Ad hanc narrationis partem concludendam auctor dicit Ordinis aurum non ad vanas lautias erogari, sed ad caritatem vere Christianam exercendam.

Noctu quoque ægroti curantur. Lampades et crucibula⁶ accenduntur, ne, si quis ambulare debeat, obstaculo quodam lædatur. Bini clientes in singulis cœcis alternatim vigilant; famuli per cœcum ambulant, qui detectos iterum tegant, male cubantium lectum reficiant, sacerdotes arcessant, si necesse, mortuos in monasterium portent. Ipsi clientes vinum et aquam afferunt, lente inter lectos ambulantes et alta voce dicentes: «Domini, vinum (vel aqua) ex parte Dei». Insuper, perfecto completorio, fratrum pompa per omnes cœcos ambulat curans ut omnia bene sint ordinata, ne quid sit indecens vel pietati contrarium.

Alicui fratri mandatur ut, adiuvantibus famulis, capita lavet, barbas radat, capillos secat; singulis Lunæ et Iovis diebus omnium ægrotorum pedes aqua calida lavantur; sordes pumiceo lapide tolluntur. Idem frater, dum ægroti comedunt, turibulo prædictus per cœcos ambulat.

Mulierum xenodochium eodem modo ordinatur; propriam culinam etiam habent. Gravidæ mulieres quoque in xenodochium libenter veniunt ante partum, nam eæ et infantes ibi pie curantur. Si quædam mulier infantem relinquere vult, sive paupertate, sive mala valetudine, sive novocali duritia mota, statim infans nutrici traditur curandus. Nutrices horum relictorum infantium, qui vocantur «adoptati beati Iohannis filii», etiam si sunt mille, singulæ quotannis accipiunt duodenæ talenta; insuper sollemnitatum occasione accipiunt, ut ipsi fratres, novenas cibi portiones. Ne nutrices neglegentes fiant in parvulis custodiendis, ut mos est in alienis, eos in «hospitale» sæpe debent

afferre, ubi sorores eos quasi materna circumspunctione inspiciunt maleque curatos aliarum nutricum custodiæ tradunt. Puellulæ, statim ac ætas sinit, ad aliqua officia facienda formantur. Cum adoptati amborum sexum adulti fiunt, interrogantur «utrum nutritori suo beato maluerint servire Iohanni, an cavillantis mundi seductorias illecebras amplecti» (sic in manuscripto).

Nobiles peregrini, qui «hospitalis» petunt subsidiū, sive propriis parcentes sumptibus, sive in agris operam dare non valentes, sive quod mendicare erubescunt, etiam accipiuntur atque eosdem cibos accipiunt ac fratres; nullum tamen officium eis imponitur. Sed, si quis eorum, divino admonitu motus, pauperes curare vult, Christo duce, ei licet adiuvare. Multi tamen «mundum consulentes, proprie iactantia mentis se ipsos exuentes tamquam bruta stabilitate, irretiti nau-satico contemptu fastidiunt, male intellegentes quam periculoso sit panem otiosum ea in domo comedere.»

Hac sententia pie severitatis plena finitur manuscriptum, quo nobis licet minutatim comperire qualis fuerit vita in mirabili nosocomio duodecimi sæculi; non omnia certe eiusdem sumptuositatis erant tunc temporis. ☩



*Sigillum nosocomii Hierosolymitani
duodecimo sæculo.*

1. Fons huius symbolæ est fasciculus extraordinarius n. 14 periodici a «Société de l'histoire et du patrimoine de l'Ordre de Malte» editi. In quo Alanus Beltjens, Bruxellensis advocatus, egregius Latinitatis cultor et historicus, longam eruditamque symbolam Francogallice divulgavit de hoc nosocomio Hierosolymitano, narrans quale duodecimo sæculo fuisset. Gratias auctori agimus, quod etiam permisit ut imagines divulgaremus ex eodem fasciculo excerptas.

A. Beltjens, «Le récit d'une journée au grand hôpital de Saint-Jean de Jérusalem sous le règne des derniers rois latins ayant résidé à Jérusalem ou le témoignage d'un clerc anonyme conservé dans le manuscrit Clm 4620 de Munich, *Bulletin de la Société de l'histoire et du patrimoine de l'Ordre de Malte*, n° 14 (numéro spécial), Paris, 2004.

2. Syropus sive sirupus est vocabulum medicinæ mediævalis, origine Arabicum.

3. Oxymel sive oxymelum est acetum melli mixtum.

4. Electuarium constat e variis pulveribus mixtis melli, syropo, etc.; multum sacchari inest.

5. Minutor tunc dicitur, quia sanguinem minuit.

6. Crucibulum sive crucibolum sive crucibolus est vocabulum mediævale pro lucerna.

DE LEOPOLDO M.A. CALDANI (1725-1813)

- *scripsit Victorius Ciarrocchi* -

Anno 1725 Bononiæ nobili loco Leopoldus Marcus Antonius Caldani ortum habuit et postquam studiorum curriculum explevit, cui tunc omnes adulescentes illius coetus adducebantur, in eiusdem urbis universitate anno 1750 medici gradum dignitatemque adsecutus est. Deinde medicinam ‘practicam’ præser-timque anatomiam docere coepit. Quam quidem disciplinam ipse cum physiologia iungendam esse pro certo habebat et huic persuasiōni corroborandæ magnum emolumētum Leopoldus inveniebat in operibus Alberti von Haller (1708-1777),¹ cuius doctrinam de ‘sensibilitate’ sive ‘irritabilitate’ aliqui medici laudabant ac probabant. Quos inter fuit etiam Caldani, etsi Hallerianis placitis omnes fere professores Bononienses adversabantur. Quare, urbe patria reicta, quamvis a multis Europæarum universitatium moderatoribus invitatus esset ad medicinæ tradendæ munus explendum, tamen in Patavinam universitatem se conferre maluit et in huius urbis universitate Ioanni Baptistae Morgagni (1682-1771)² successit. Patavii totam vitam degit et hac in urbe die trigesimo mens. Dec. a. 1813 mortuus est. Quæ aliis in Civitatibus et universitatibus Europæis inveniebantur ad morborum naturam investigandam aptiora, ea Leopoldum minime fugiebant: is enim diuturnum commercium epistulare habuit cum quibusdam viris doctis et hunc in modum de doctrinis medicis vel recentioribus semper fiebat certior. Idem eminuit in anatomicis investigationibus perficiendis multaque invenit ad sanguinis circulationem spectantia atque in auris partibus rectius describendis. Qui vir etiam nonnulla fovit incepta, veluti quæ ad museum anatomicum Patavinum constituendum aptiora esse putaverat. Inter opera, quæ Latine composita, memorata digna etiam-nunc sunt hæc: 1) *Institutiones pathologicæ* (Patavii, a. 1772); 2) *Institutiones physiologicæ* (Patavii, a. 1773); 3) *Institutiones anatomicæ* (Venetiis, a. 1787); 4) *Icones anatomicæ quotquot sunt celebriores ex optimis neoterico-rum operibus summa diligentia depromptæ et collectæ* (Venetiis, aa. 1801-1814); 5) *Institutiones semeiotices* (Patavii, a. 1808).

Morborum causas eorumque varios exitus clarissime Caldani explanare solebat, ut patet e sententiis quibusdam infra relatis, quæ in eius opere leguntur *Institutiones Pathologicæ* inscripto (editio a. 1786 Venetiis impressa):

«Caput XVIII, § 265: *De Animi Pathematibus tam-quam morborum causis.* Mens agit in corpus; corpus autem in mentem. Hoc adeo notum est et quotidianis observationibus ita confirmatum, ut nullius peculiaris indiget explanationis. Sed quo mechanico artificio absolvitur actio hæc reciproca inter duo substantiarum



Leopoldus Caldani (Wikipedia)

genera, quæ natura tantopere discrepant inter se? [...] Plura in hanc rem excogitata fuerunt a philosophis, quæ quidem omnia sunt inter hypotheses referenda neque ad cuncta explicanda phænomena satis sunt apta. § 268: Missis igitur hypotheses omnibus in hanc rem excogitatis, videamus a quibus præcipue animi passionibus humanum corpus præter naturam afficiatur. Huiusmodi autem sunt *gaudium, lætitia, mæror, cupidio venerea, ira, odium, terror, metus.* Harum passionum, quæ *animi pathemata* audiunt, harum, inquam, passionum vi, humani corporis œconomia perturbatur, ut vel in ægritudine incidat vel ad eas maxime disponatur; etiamsi inter illas nonnullæ numerentur, quæ ad mentem exhilarandam aptæ natæ videantur. § 273: Neque multum diversa est eorum condicio, qui *venerea cupidine* incenduntur, quæque definiri posse videtur furiosa animi affectio, cuius vi obscenas interdictæ ut plurimum veneris voluptates vehementer appetimus [...] Hæc cum utrique sexui sint communia, muliebris tamen id præterea habet proprium, ut non secus quam ex libidine, in mensium suppressionem incidat, deinde in *chlorosim.* § 277: [...] Iterum dico, excogitatæ in hanc rem hypotheses problema neutiquam solvunt: pendet enim eiusdem solutio a legibus coniunctionis animam inter et corpus; quas quidem leges penitus ignoramus.»

Itaque neminem fugit quam caute Caldani de relationibus corpus inter et animam exstantibus loquendum et scribendum esse putaret, quoniam, ut inter omnes constat, aliud est philosophari, aliud morborum

naturam investigare atque ægrotis mederi. Ceterum variæ corporis adfectiones, quas hominibus vel natura vel mutata tempora tribuunt, etiam animum aliquatenus plasmare valent, sicut non raro accidit ut morbi quidam corporei originem ducant ab animo, qui qualibet de causa in demissionem inciderit. Nam animi pathemata sæpe totam corporis condicionem immutare possunt.

Etiam in motibus physiologicis perpendendis explinandisque conspicuam sibi famam comparavit hic doctus vir. Qui, etsi Hallerianis de irritabilitate operibus plerumque accessit, alias tamen doctrinas ad physiologiam spectantes non respuit; quin immo eas acri semper iudicio ponderabat. Alioquin e philosophicis disputationibus, quæ exeunte sæculo XVIII præsertim de ‘empirismo’ et ‘rationalismo’ haberi solebant, duæ rationes ad medicinam quoque spectantes, sæpius usurabantur: inductiva dicebatur ea, cuius fautores tantum ex observationibus experimentisque aliquid certi concludendum esse censebant; deductiva eorum, qui ex principiis quibusdam universalibus seu ratione innixis doctrinas omnes oriri debere autumabant. Ad veritatem enim adsequendam illud semper omnes pluris facimus, ut nobis certa et evidens rerum notitia perveniat. Sane medicina nonnullis eget præceptis universalibus, quorum emolumenta præsertim in disciplina physiologica dignoscuntur. Nam «ipsa porro rei præstantia vos ad hoc opus libentiore animo excipiendum impellet. Continet enim Physiologia eam artis salutaris partem, quæ singulare aliarum præsidium et quoddam veluti firmamentum habenda est. Tanta enimvero a disciplinarum physiologicarum peritia in universam Medicinam derivatur utilitas, ut sine ea Clinices phænomena rite intellegi et explicari nequeant [...]】

Physiologia, quæ priscis temporibus efflorescere coepit, ad summum perfectionis apicem fere perducta videtur. Neque heic moror quosdam nuperos veritatis osores, qui præclara sæculi nostri inventa non modo cognoscere negligunt, sed indicta causa improbant quoque; quin immo, si Superis placet, destruere conantur. Hi, ut aperte et plane loquar, reperta fruge, glande vesci malunt»³ ait Caldani alio in opere, quo per decennia multi physiologiæ professores nonnullis in universitatibus ad hanc disciplinam docendam usi sunt.

Illud præterea huic viro est honori, quod, etsi suis in opinionibus defendendis firmus erat, doctrinas tamen ab aliis viris doctis explanatas non respuebat vel quotiens ipsæ audaciores esse viderentur. Id quod v. g. accidit cum Dominicus Cotugno (1736-1822), medicus minime spernendus, anno 1761 opus edidit, quod *De aqueductibus auris humanae anatomica disserta-*

tio inscribitur quodque ob novas de aure humana explicationes parum benevole a nonnullis anatomiae et physiologiæ professoribus existimatum est. Sed Caldani tam validis argumentis usus est in doctrina illius medicæ defendenda, ut ea *anatomica dissertatio* libris gravioribus de medicina id temporis compositis procul dubio adnumeranda sit. Atque medicus Bononiensis secundo tomo eiusdem operis supra memorati cum alia tum de auris structura deque audiendi facultate scribit hæc: «Quemadmodum videlicet audiunt animalia plura sine canalibus, alia sine cochlea, videntur hæ partes nobis tributæ ad magis accurate seu distincte sentiendum; utpote qui ad debiles etiam voces percipiendas fuimus comparati [...] Quod si quis demum quærat, quare duabus auribus unicum tantum sonum percipimus; unicus nempe sit sensus, non duplex; id ab impressionum similitudine pendere valde probabile est. Fortasse in altera ex auribus ad sonorum corpus aptiore sub angulo conversa; tum et maior impressio, in ratione ad alteram, duplicum posset eiusdem soni sensum excitare; nisi mens ita foret constituta, ut in validiorem impressionem intenta debiliorem non perciperet: id quod pariter eveniret, ubi altera auris in aliquibus maiore sensibilitate naturaliter prædicta esset».⁴

Quamquam summis illius ætatis medicis, veluti Ioanni Baptistaë Morgagni et Antonio Scarpa, æquiperandus Caldani non est, is tamen constans novarum doctrinarum propugnator fuit atque multum fecit, ut varia medicæ artis studia, id temporis ob academicas obtrectationes non raro adversis itineribus procedentia, tandem vinculo quodam coniungerentur ad morborum causas penitus detegendas et ipsorum curationem meliorandam.⁵ ☩

1. Cfr symbolam c. t. «Quædam de Alberti von Haller vita et scriptis» (*Melissa*, m. Aug. a. 2009, fasc. n. 151, pp. 6-8).

2. Cfr symbolam c. t. «De summo Ioannis Baptistaë Morgagni opere, quod a. 1761 editum est» (*Melissa*, m. Dec. a. 2011, fasc. n. 165, pp. 4-6).

3. *Institutiones Physiologicae*, auctore Leop. Marco Ant. Caldano (Neapol., MDCCCVI), Tomus I, pp. viii-ix.

4. *Op. laud.*, Tomus II, pp. 52-53.

5. Hoc de Caldani iudicium legitur in opere c. t. *Lexicon Biographicum Historiæ Medicinæ et Naturalium Scientiarum*, F. M. Ricci, Mediolani, 1985 (Tomus I, p. 165; scripsit Iacobus Scarpelli).

REFECTRIX SELLARVM

– auctore *Vidone de Maupassant*, interprete *Ylermi Lutinen*,
adiuvantibus *Teivas Oksala*, *Maija-Leena Kallela* –

Cena inaugurationis temporis venationis apud mar- chionem Bertrans iam finiebatur. Undecim venatores, octo feminæ iuvenes et medicus regionis circa magnam mensam illuminatam fructibus floribusque coniectam cenabant.

Modo de amore locuti erant et disputatio vehemens exorta est, illa disputatio æterna, utrum semel an sæpius vere amare possimus. Prolata sunt exempla eorum, qui unum tantum amorem serium habuerant; prolata sunt alia quoque exempla eorum, qui sæpe et quidem violenter amaverant. In universum viri asseveraverunt eundem hominem cupiditatem sicut morbo sæpe percuti, immo vero necari posse aliquo obstaculo ei obstante. Etsi hæc opinio non in dubium vocata erat, feminæ, quarum sententia poesi magis quam observatione nitebatur, amorem verum, amorem magnum, mortali semel tantum incidere posse affirmaverunt. Amorem illum similem esse fulmini et cor eo attactum postea adeo defatigatum, adeo contusum contritumque esse, ut ne sensus quidem fortis, ne phantasia quidem, umquam in eo exoriri possit.

Marchio, qui multum amaverat, huic opinioni vehementer restitit:

– Evidem vobis dico hominem sæpius omni vi totoque animo amare posse. Homines mihi nominatis, qui amore interierint, quasi ab illis demonstratum esset alium amorem existere non posse. Vobis respondeo: nisi hanc cædem stupidam sibi consivissent, quæ eos in eundem morbum recidere prohibuit, certe convalluissent; et denuo amare incepissent, iterum atque iterum, usque ad mortem suam naturalem. Amantes similes sunt potatoribus. Qui potavit, potabit – qui amavit, amabit. De natura enim humana agitur.

Medicus quidam senex Parisiensis, qui emeritus rus se removerat, arbiter ab illis electus est ac de re consultus.

Sententiam ille suam non dedit exactam:

– Ut dixit marchio: de natura humana agitur; ego met amorem quendam ardente cognovi, qui quinquaginta quinque annos continuos persitit et morte demum terminatus est.

Plausit marchionissa:

– Venustissimum! Quod somnium dulcest ita amari! Quam fortunatus sane fuit ille, qui quinquaginta quinque annos vixit tali cupiditate fervida penetrante implicatus! Quam felix certe fuit ille quantumque gratiam vitæ habuit, qui ita adoratus erat!

Medicus surrisit:

– Reapse, mea Domina, non falleris, ille homo tan-topere amatus vir erat. Is certe tibi notus est: Dominus Chouquet, medicamentarius huius oppidi. Quod ad

feminam attinet, eam quoque cognoveras. Vetusta erat refectrix sellarum et quotannis in castellum advenit. Sed paululum narrationem meam explicare conabor.

Studium ardens feminarum residerat. Vultus cuiusque satiatus ita dicere videbatur: «Vah, velut si homines non nisi urbani et præstantes, qui digni essent attentione animi dominorum, amore commoveri possent.»

Medicus perrexit:

– Abhinc tres menses ad lectum illius anus morientis vocatus sum. Advenerat pridie in ræda sua, qua etiam habitatione utebatur. Caballum rædam vehementem conspexistis. Duos canes nigros secum habebat, suos amicos custodesque. Dominus ecclesie iam aderat. Nos illa fecit executores testamenti sui nobisque totam historiam vitæ suæ rettulit, ut significationem ultimæ suæ voluntatis nobis patefaceret. Nihil scio esse mirius, nihil commoventius.

Pater materque eius sellarum fuerant refectores. Numquam illa domicilium permanens habuit. Cum parvula esset, pannosa errabat bestiolis instructa illo-taque. Ante portas oppidorum et prope fossas viatores illi consistere solebant. Deinde equo iugum Dempserunt; equus pascebatur; canis dormiebat rostrum super pedibus suis tenens; et parvula in gramine circumagebatur, dum pater materque omnes sellas veteres illius regionis reficiunt sub umbra ulmorum. Haud multum hoc in domicilio circumeunti locuti sunt. Postquam paucis verbis necessariis factis decernere potuerant, quis eorum domos circumiret clamorem bene cognitum edens: «Reeffector sellarum!», stramentum torquere coeperunt aut facies contra faciem aut latus contra latus. Si puella nimis longe abierat aut contagionem cum aliquo putillo pagi facere conata erat, vox ira incensa eam revocavit: «Vin huc reverti, catula!» Hæc fuerunt verba unica teneritatis, quæ umquam audivit.

Ubi primum satis adolevit, missa est, quæ spondas sellarum fractarum colligeret. Eo tempore ab altera regione ad alteram accedens in familiaritatem aliquorum puerorum venire coepit; tunc autem parentes amicorum eius novorum liberos suos ferociter revocare solebant: «Nonne huc venis, scurra! Me miserum! Me te cum pannosis sermocinantem videre!...»

Pueruli in eam sæpe lapides coniciebant.

Si dominae ei aliquot asses dederant, hos diligenter depositus.

Quodam die – eo tempore undecim annos nata erat – per hanc regionem iens parvum Chouquetem post sepulcretum convenit. Parvulus ille lacrimabat, quod sodalis quidam eius duos teruncios ei surripuerat. His lacrimis civis parvi, quem in capite suo tenero mise-

roque semper contentum et lætum esse cogitabat, puerilla graviter perturbata est. Puer appropinquavit et, ubi primum causam mæroris percepit, omne compendium suum, septem asses, in manus pueri evertit; quos puerulus nimirum corripuit lacrimas suas detergens. Tum puella læta mente capta puerulum amplecti ausa est. Ille animum nonnisi suos ad nummos advertens amplexum puellæ accepit. Puella cum animadvertisset se nec demota nec verberata esse, rursus puerulum amplecti et basiare cœpit ex intimo corde suo. Deinde fugæ se mandavit.

Quid in capite illo misero movebatur? Ad illum puerulum se obligavit, quod omnia bona sui ipsius vagantis ei obtulerat, an, quod ei primum basium suum tenerum dederat? Secreta similia sunt liberis atque adultis.

Mensibus labentibus et illo de angulo sepulcreti et de puerulo somniabat. In spe novæ occurrasionalis parentibus suis asses singulos passim surripuit aut e mercedibus sellarum refectorum aut e pecuniis ad res emendas pertinentibus.

Reveniens illa duos francos in sinu suo habuit; at ei non contigit, ut medicamentarium suum parvum aspiceret, nisi inter pyxidem rubram et tæniam trans quadraturam vitream pharmacopolæ patris eius.

Magis magisque puerulum amavit, fascinata, commota, incitata corona radiata liquoris colorati divinitateque crystallorum fulgentium.

In corde suo memoriam sempiternam pueruli conservavit. Cum eum postero anno post scholam offendisset cum sodalibus globis ludentem, se super puerulum deiecit eumque amplexa adeo vehementer basiavit, ut puer timoris causa ululare inciperet. Tum puer pecuniam suam dedit, ut eum sedaret: tres francos et viginti nummulos, thesaurum verum, quem puer oculis amplificatis spectabat.

Puer pecuniam cepit puellæque permisit, ut quantumcumque cuperet se ipsum permulcere posset.

Quattuor iam annis puella compendium suum in manus pueri evertit et ille pecuniam pro basiis acceptam in sinum suum diligenter posuit. Quondam triginta asses habuit, quondam duos francos, semel duodecim solum asses (puella mæroris et humilitatis causa lacrimavit, sed annus minime fructuosus fuerat) et ultimum quinque francos, magnum nomisma rotundum, quod puerum contentum ridentemque fecit.

Puella nihil nisi de puer illo cogitabat; et ille quoque redditum puellæ impatienser exspectabat et, ubi primum eam vidit, ei occurrit; quare cor puellulæ palpitarbat.

Deinde puer disparuit. In scholam superiorem mis-

sus erat; quam rem puella sollerti ratione interrogandi cognovit. Itaque puella diplomatica extrema usa est, ut cursum itineris parentum mutaret eisque persuaderet, ut tempore feriarum per hanc regionem iter facerent. Quæ res puellæ contigit, at non ante insidias per unum annum factas. Ergo duobus annis puerum non viderat. Vix nunc eum agnovit, quod tantum mutatus erat, adoleverat, pulchrior factus erat; et tunica orbicularis aureis ornata indutus se iactabat. Puellam se non videre simulans superbe eam præteriit.

Ob eam rem puella per duos dies lacrimavit; et postea quoque continenter dolore laborabat.

Quotannis revertit puella, puerum præteriit, eum autem salutare non ausa est; puer ne leviter quidem puellam aspicere dignatus est. Sed puella eum misere amavit. Mihi dixit: «Mi medice, vir ille solus est, quem in terris vidi; neque alios quidem exsistere scio.» Parentes puellæ mortui sunt. Illa munus eorum continuavit, sed duos canes pro uno cepit, duos canes terribiles, quibus nemo resistere ausus esset.

Quodam die hunc in pagum reversa, ubi cor eius manserat, feminam iuvenem sub ala amati eius ex taberna Chouquetis egredientem aspexit. Uxor erat filii medicamentarii. In matrimonium eam duxerat ille.

Eodem vespere puella in stagnum prope plateam curiæ urbanæ situm se præcipitavit. Quidam potator pervesperi ambulans puellam e stagno levavit et in apothecam portavit. Filius Chouquetis veste matutina indutus descendit, ut puellam curaret; quam non agnovisse videbatur. Vester ei exuit, eam malaxavit et deinde graviter: «Mente capta es», inquit, «tam stupidida esse non potes!»

Hoc satis fuit ad puellam sanandam. Ille ei erat locutus! Diu ea felix erat.

Ille mercedem ab ea accipere noluit precibus huius vehementibus neglectis.

Ita fugit tota vita huius feminæ. Sellas reficiebat de Chouquete cogitans. His omnibus annis illum post armaria vitrea vidit. Medicamenta sua exigua ab eo emere cœpit. Ita eum prope videre, ei loqui, ei rursus pecuniam dare poterat.

Ut initio vobis dixi, hoc vere illa mortua est. Postquam mihi totam hanc narrationem tristem rettulit, me rogavit, ut omnia bona in vita sua comparata illi viro præberem, quem tam patienter amavisset. Modo pro illo enim se laboravisse, se etiam fame prope confectam, ut pecunias reponere ac pro certo habere posset virum illum semel saltem de se ipsa cogitatum, cum mortua esset.

Mihi igitur duo milia trecentos viginti septem francos dedit. Domino ecclesiæ egomet viginti septem

francos ad sepulturam commisi et, cum illa ultimum spiritum duxisset, reliquos mecum assumpsi.

Postridie ad familiam Chouquet profectus sum. Lentaculum suum finiebant et facies contra faciem, crassi et rubicundi sedebant, medicamentis fragrantes, graves et sibi placentes.

Me assidere rogaverunt; vinum cerasi mihi præbuerunt, quod accepi. Sermonem meum voce commota incepi; pro certo habui eos lacrimaturos esse.

Chouquet, ubi primum intellexit pannosam istam vagantem, refectricem sellarum, se ipsum amavisse, iratus surrexit velut mulier ista ei famam, reverentiam hominum proborum, honorem eius proprium, aliquid vita carius et tenerius surripuisset.

Uxor eius ira æque incensa repetebat: «Mendica ista! Mendica ista! Mendica ista!...», alia verba non reperiens.

Dominus surrexerat; gradu extenso post mensam movetur, galero super alteram aurem obliquo. Balbutit ille: «Mi medice, intellegisne? Hæ res viro horribiles sunt! Quid faciam? Eheu! Utinam hoc scissem ea vivente, custodes publicos eam comprehendere et in vincula conicere iussisse. Neque inde excessisset, id tibi promitto!»

Confusus fui effectu pii consilii mei. Nescii, quid facerem aut quid dicerem. Sed mandatum mihi perficiendum erat. Itaque perrexi: «Mihi illa mandavit, ut bona sua omnia tibi darem, quæ usque ad duo milia trecentos francos aucta sunt. Ut intellegere potui, molestiam permagnam cepisti; quam ob rem optimum esse videtur bona eius pauperibus tribuere.»

Solliciti me aspexerunt, vir uxorque eius.

Pecuniam e sinu meo prompsi, pecuniam miseram, omnis generis et undique paratam, aurum assesque permixti. Deinde quæsivi: «Iam decrevistis?»

Domina Choquet primum locuta est: «Sed quoniam ultima voluntas eius erat, mulieris istius... mihi videatur nobis difficile esse eam illi interdicere.»

Confusus maritus rursus perrexit: «Aliquid vero liberis nostris emere possimus.»

Nihil dixi nisi: «Ut vultis.»

Maritus dixit: «Nihilo minus, da mihi pecuniam, quod tale negotium tibi dederit; aliquem usum bonum pecuniis certe reperiemus.»

Pecunias dedi, eos valere iussi, et abii.

Postridie Chouquet ad me venit ac de improviso:

– «At nonne rædam suam hic reliquit, ista... ista mulier? Quid cum ræda agere in animo habes? – Nihil, eam aufer, si vis.

– Optime; licet per me; ea nubilarium in horto meo olitorium fiet.

Ille abiit. Eum revocavi. «Equum etiam veterem atque duos canes reliquit. Vin eos quoque habere?» Stupefactus constitit: «Mehercle! Quid ego cum eis faciam? Istos dispone, sicut vis.» Et cachinnum sustulit. Deinde mihi manum porrexit eamque prehendi. Quid fecissem? Medicus et medicamentarius eiusdem regionis inimici inter se esse non possunt. Canes apud me habui. Dominus ecclesiæ, qui magnum propatulum (ante domum suam) habet, equum accepit. Ræda a Chouquete pro cabanna habetur. Pecuniis quinque obligationes ferriviarias emit.

Ecce solus amor profundus, cui in vita mea occurri.» Medicus conticuit.

Tunc marchionissa lacrimans suspiravit:

– Profecto, solæ feminæ amare sciunt! ☺



Pinxit Rauno Luttinen 2013.

Vido de Maupassant: historia edita sub titulo: *La rempailleuse*, 17.9.1882 in *Le Gaulois*, deinde in collectione *Les contes de la bécasse*.

DE HISTORIA AQVATICA

- *scripsit Tzimmakos Richard* -

Formosa ignota, salve,
Haud dubito quin, cum hanc epistulam legas, pri-
 mum mireris et verba mentis haud compotia scrip-
 ta acriter derideas, forsitan ne lectionis quidem finem
 facias. Sed, si pulchritudo etiam in corde tuo luxerit,
 senties quanto dolori hoc mihi sit, ac hæc verba gravia
 levare poteris. Ergo legas omnia, quamvis nihil credibi-
 le æstimes. Nam Ægypti antiqui insanos numen
 convenire iudicabant et quid aliud præter numen incre-
 dibia ineffabiliaque efficit?

Die quodam, cum circa lacum mente omni cura
 opereque vacante ambularem, gramine ut lumine solis
 æstivo fruerer incubui. Opera enim cottidiana maturius
 perfecta erant ac ire poculum cervisiae cum aliis bili-
 tum hodie nolebam, mihi igitur licebat in oceano pigrifi-
 tæ quietisque natare. Oculos breviter clausi ad calo-
 rem omnino percipiendum et omnes quæstiones quæ
 in mente mea ut apes consonantes volant expuli. In
 hoc lecto viridi iacens somno præstanti me dedi.

Pila ab pueris iacta me ægre experrectum fecit. Iis
 eam reddidi paululum iratus et iterum requiescere
 conatus sum. Sed cum in somniorum aquam iterum
 mergebar, pondus quoddam humidum supra me ceci-
 disse sensi. Oculis apertis, quæ imago mihi apparuit!
 Femina quæ tantummodo manibus divinis confecta
 esse posset de nusquam ceciderat! Flagrabatne tantum-
 modo somnium fictum an talis pulchritudo revera hoc
 in orbe ubi flores mirabiles aspectu aliquo die marcidi-
 fient, exstare poterat?

Te aspexi et tua lumina maritima meis occurrerunt
 et sagitta Cupidinis me icit et acriter me vulneravit et
 subito stupui. Vox suavis ut ventus sed viribus onesta
 locuta est, sed nulla verba audivi quod sono allactus
 sum. Tu, voce modulata, « Veniam mihi des, inquis,
 nolui te humectare ». Ego respondere nihil accidisse et
 sermonem oriri volui sed obstupefactus arte veneria
 tantum ambo lumina cælestia quæ instar stellarum in
 nocte atra strenue lucebant: nullus sonus e gutture
 sonuit. Cum progressa esses, lux gradatim evanesce-
 bat nec iam siccabatur aqua supra corpore: intus enim
 frigebat cor. Venus crudelis a nemine victa de me
 deridebat.

Domum regressus, librum qui mihi maxime inter-
 esset evolvi, legere cœpi, sed animum ad res præsentes
 trahere nequivi. Nam cæcus factus averti ab oculis
 colore cæruleo, ubi mirabilia profunde mergebantur,
 formaque præclara quæ alias luces abscondebat et,
 confiteor, libidinem audaciorem promebat minime
 potui.

Nocte transeunte, germanus, antequam sol oriretur
 et stellas expelleret, regressus est. Cum me aspiciebat,

miratus, me rogavit num quid nimium spirituosum
 bibissem, quod cadaver visus essem. Negavi, igitur ite-
 ravit quæstionem firmius: quid mihi evenisset. Sed
 nescivi quomodo ineffabilia narrarem cum verba ad
 mirabilia explananda mihi deficerent. Aliquid cibi
 edere me coegit, sed nulla re præter præsentiam tui
 carebam. Si mens cum tui meminisset magno cum gau-
 dio valebat, ut delphinus inter undas natat, corpus
 viribus absentibus debilitatum est.

Carminis lesbiaci mihi venit in mentem et sensum
 denique intellego.

Diebus transeuntibus, cum gaudium tum debilitas
 augebantur. Germanus, etsi tantum silentium modo
 exprimeret, multa contenta quæ oculi proderent dicere
 sine dubio volebat. Speraremne me vere causam homini
 qui sinus materni particeps fuit tacere posse.
 Divinavit enim quibus undis errarem et temptabat me
 e mari ubi Cupido et Venus velut Scylla et Charybdis
 regunt extrahere. Prudens mihi suasit ut flamas res-
 tinguerem ne venti amatorii ad desideriorum oras pel-
 lerent, sed nesciebat ardorem animi ab talibus errori-
 bus nequaquam residere præter unum modum posse.

Tu invenienda eras. Ad lacum regressus et primum
 alterumque aliosque dies te apparitiram speravi.
 Tandem formam tui vidi. Cum appropinquarem, conti-
 nuo consti quia obviam tibi ire non audebam!
 Cytherea sæva miserrimum mortalem per artem amato-
 riā semper eludit. At quomodo auderem, cum rudis
 bestia ad eam ruerem? Nam holitori opus erit tenerita-
 te ad florem tam pulchrum carpendum, si eiusdem
 robusti potiri voluerit.

Huic epistulæ non genere oratorio sed corde
 inflammato scriptæ ratio est te carpere et una, si
 eadem sentis, o amata, dona Cupidinis et canamus et
 vivamus. ☩

HVMANISTÆ ‘VERSVS’ CHRISTIANOS

– *scripsit David B. Taylor –*

*Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae,
quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis
traditum est sancto mandato.*
(ex epistula Petri altera ii.21)

Mundus qui nunc est totus sub regula scientifica subiacet, non solum quia dominatores hanc regulam in omnibus ubique imponunt, sed quia ipsi subiecti sub hac tyrannide (ut ita dicam) seipsos subducunt. Dicta nostra vera existimari debent – sic est orthodoxia hodierna – solum quoad probari possunt per evidenciam ad inspectionem nostram apertam; quæcumque dicta aliter sint fundata, mera opinio (ut arbitrantur benigniores), vel atrox supersticio (in sententia duriorum) sunt iudicanda. Manifestum est præterea omnia dicta perceptaque cum religione coniuncta non posse ut vera accipi quia nulla eorum evidencia fundantur.

Hoc argumentum revera est inter duas traditiones inter se conflictantes de veritatis natura. Traditio religiosa quidem non omnino accipienda est eo quod, aliter quam traditio scientifica, definitionem ad inspectionem apertam non offert. Est consilium rationale igitur ut traditio scientifica de veritatis definitione accipiat, eo quod scientiæ clarissime delineant quid sibi velint quando de veritate disserunt, aliter quam religiosi. Sed hac definitione accepta sunt nihilominus innumeræ quæstiones considerandæ quas evidencia cuiuscumque modi resolvere non potest; exempli gratia quæstiones de recte vivendo, de natura societatis præ ceteris præferendæ, de ducibus sequendis vel contra repellendis; et supra omnes ceteras de vitæ nostræ significatione vel proposito.

Apud ipsos scientistas plus minus constat hanc novissimam quæstionem responsum non habere, ergo esse totam respuendam; atque verum est hanc quæstionem per methodum scientificam nullo modo investigari posse. Est quidem responsum a biologis prolatum, quod capitibus quattuor exponatur: proposita vitæ animalis sunt (a) edendi, (b) pugnandi, (c) fugiendi, (d) prolem generandi; sed pauci sunt homines quibus horum quattuor finium secutio vitam significationis plenam reddit. Quicumque præter hos est finis persequendus e fonte imaginationis exsurgit: non mundo materiali, sed potius (ut ita dicam) mundo spirituali.

Hic mundus spiritualis autem non æstimandus est quasi mundus alternus vel separatus a mundo materiali, quod religiosi plerumque asseverant; sed revera est alia intellegendi ac interpretandi methodus eundem materialem mundum quem ipsi scientiæ inspiciunt. Est, ut planissime dicam, mundus fictivus, vel potius (quia *fictivus* aliquid mendacii infert) fictivus. Sed in

errore versamur opinantes (quod his diebus faciunt plurimi), quia hic mundus fictivus, ergo nullius æstimationis sit habendus; omnes istæ quæstiones supra positæ, in eo quod responsum ex evidencia deproprium non capiunt, tantum e fictiva opinione decerni possunt. Mundus scientia revelatus valores nulliusmodi nobis offert; mundum fictivum ergo creari oportet in quo vita nostra et significationem et propositum habere potest.

Tales mundos fictivos nobis offerunt imprimis religiones. Sed quomodo religiones tralaticiæ cum hoc mundo scientifico congruere possint? – eo quod omnes, ut appareat, narrationem proclamant quæ manifeste non est vera; et omnes eodem modo doctrinam moralem prædicant quasi directo a Deo ipso (vel deis ipsis) prolatam, ergo nusquam arguento mortalium scrutandam. Paululum vel nullum rationi humanæ spatiū permittitur.

Nonne opus est igitur novo mundo fictivo qui multo melius congruere potest cum mundo scientifico? Et talis mundus fictivus convenienter adiacet, qui est hodiernus Humanismus Scientificus. Hæc appellatio *humanismi* non nova, quia apud scholares tempore ‘litterarum renascentiæ’ (quod dicunt), incipiente dimidio secundo sæculi quinti decimi, multum in usu erat, significans illos studentes classicæ litteris antiquitatis nuper in lucem reportatis. Etiam illis diebus erant apud humanistas qui adversabantur religioni tralaticiæ, sed alii erant qui sibi vindicabant duo nomina – humanistæ atque Christiani; et inter hanc turbam erat humanista fortasse omnium præstantissimus, videlicet Desiderius Erasmus. Ab hoc genere humanismi ergo his diebus distinctione opus est; quare hoc verbum *scientificum* est additum.

Hic humanismus scientificus omnes istos errores religionibus insitos vitat: scilicet narrationem plane mythicam quam religiosi e contra veritatem esse affirmant, insuper et ista mandata moralia quæ religiosi de cælo descendisse asseverant, ergo sine disputatione semper respicienda. Huic humanismo narratione non opus est, et principia (magis quam mandata) moralia e ratione humana procedunt, semper igitur disputationi subiicienda et per experientiam mutanda.

Non nova doctrina esse apparent, quippe quod intendit non multum differt ab intentione philosophorum moralium antiquorum, qui eodem modo religioni populari adversabantur. Est tamen hæc differentia: isti antiqui non solum vix curabant num apud populares audirentur, sed etiam honorem sibi vindicatum putabant hos populares a doctrina philosophica abhorrente; tantum illuminatos sapientia dignos haberi existima-

bant. Est tamen aliter apud hodiernos humanistas, quibus est propositum religiones in toto abolere, ita ut hæc nova ‘religio’ humanismi etiam apud pauperes illitteratosque et vitæ significationem et recte vivendi præcepta in futurum præbeat. Sed quod per hanc dissertationem ostendere volo: hunc humanismum valere non posse ut totaliter religiones tralaticias dissolvat; eo quod animi humani egestates quas semper tales religiones repleverint hæc philosophia vix aut nusquam considerat. Et imprimis est notanda illa recusatio omnis elementi narrationis mythicæ, ea quæ philosophiam popularibus ingratam (quia plus minus indigestibilem) reddit.

Est autem facies alia huius doctrinæ humanisticæ quod etiam plus populares distare ab ea impellit. Humanistæ, iterum ut philosophi antiqui, tantum privatis prædicant, quomodo quisque suam ipsius vitam puram immaculatamque reddat; nulla inhærente dimensio publica videtur, quomodo proximi nostri præterea sint adiuvandi – tamquam ex illis duobus mandatis Iesu prolati unum tantum notandum est: diliges veritatem virtutemque (magis quam Deum) ex toto corde tuo et cetera; quod ad proximi dilectionem attinet, de hoc silentium. Hic erat defectus ab Imperatore olim Iuliano, Apostata vocato, indicatus cum religionem publicam, scilicet paganam, reviviscere tentabat: clerros Christianos demonstravit apud pauperes humiles illitteratos semper laborare, et ideo ab omnibus maxima in æstimatione tenebantur; quod sacerdotes quoque religionis publicæ facere deberent, nisi Christianos semper crescere, seipsosemper minui experiri parati essent.

Humanistæ nostris quidem diebus revera sollicitudinis pleni sunt de pauperibus auxiliandis, sed tantum per partes politicas anxieties suas exprimere possunt; Christiani autem idem faciunt sine ulliusmodi politica obligatione, quod sæpius pro emolumento suo evenit. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, immaculatum se custodire ab hoc sæculo:* hoc legimus in epistula Iacobi (i.27). Et humanistæ et Christiani de priore doctrina inter se consentiunt; sed tantum Christiani posteriorem observant.

Condicio mentis perfecta secundum doctrinam humanisticam optime in versibus Horatianis delineata est:

*Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis...*

(Carminum II.iii.1-2)

et est præterea quæ multo maximæ hominum turbæ se commendat; sed non est apta ut in cladibus tæterrимis etiam tunc verba salutaria offerre possit. Vesuvii eruptionem, Romæ a Visigothis populationem, Londinii concremationem, Olisipponis terræ motu eversionem, inter omnes has clades talis doctrina firma tranquilla rationabilis haud amplius patientium precibus respon-

det. Nec usquam refert an paululum an etiam nequam cælestium potestatibus confidant, in huiusmodi occasionibus has ipsas potestates implorabunt homines pro salute sua. Quanto melius noverunt preces suas vanas esse, tanto ferventius easdem offerunt. Illæ duæ aeronaves, cum adversus turres gemellas Mercaturæ Mundanæ Societatis impellebantur, nullos atheistas eo tempore continebant.

Sed præcipue deficit doctrina humanistica in quod prædicat de re morali. Secundum hanc prædicationem omnia facta moralia e fonte ratonali defluere debent. Quod facile demonstrari falsum esse potest, eo quod haud rarenter inveniemus actiones nostras bonas contra rationem militare, malas autem cum ratione congruere. Exemplum recens est scandalum illud Anglicanum apud decuriones popularium Palatio Vestmonasterii gregatos denudatum, in quo maior pars eorum pro impensis restituendis mandata vastissime inflata summiserunt, dum alii (sed pauci) quod solum debebatur rogaverunt. Illi secundum viam rationabilem quidem gradiebantur, sed utique contra rectam. Certi erant neminem discooperire valitum esse suam culpam in hac re; nec valuisse, nisi aliquis speculator contra ius et fas crimina eorum tandem prodidisset.

Christopherus Hitchens nuper mortuus, cum adhuc vivebat, confitebatur nullos esse qui se virum bonum esse sinerent, eo quod parum misericordiæ ad ceteros ostentabat. Ista confessio, ut appareat, multo anxior erat quam mera observatio de mentis eius statu, quia per multos annos non solum improbare solebat Matrem Teresam Calcuttensem ob defectus (ut putabat) operis eius medicinalis, sed vituperatio eius – ad omnes aspectus vitæ et actorum eius directa – acutior semper fiebat usque dum irrationale in odium in fine versa est. Quæ erat causa huius inimicitiae? Nonne quia culpari sibi videbatur cum comparationem fecit inter illius sacrificia et dedicationem ad pauperum ærumnas sublevandas et suam ipsius satisfactionem tantum in actibus politicis quæ (ut semper) gloria beneficioque eum donavit magis quam aliasmodi lucro mundum latiorem?

Indicem hic habemus principalem istius differentiæ inter doctrinas humanisticas et Christianas. Humanismus, eo quod moralia tantum ex origine rationali sint deducenda asseverat, vix aut nusquam eam virtutem apud homines summa in æstimatione habitam impertit: sui sacrificium (ut id nominare liceat) e motibus rationalibus prædicari non potest. Christiani, quamvis in errore versati sint cum moralia immutabilia irrefutabiliaque ex ore Dei procedere declarant, tantum quia moralia atque rationalia inter se discrepare affirmant, et facile et saepe hanc virtutem sui sacrificii apud genus humanum latissime spargunt. ☩

DE NOVIS LIBRIS

«*Nec scire nefas*»: *Nieuwe bijdragen over Neolatijn voor het onderwijs*, edd. Dirk SACRÉ & Toon VAN HOUDT, Amersfordiæ [Amersfoort in Batavia], Florivallis, 2013, 419+(1) pp.

Nemo nescit in scholis nostris, ubi pueros adhuc atque adulescentulos Latinitas doceatur, more tradito solito atque inveterato nullum fere tempus iis scriptoribus tribui atque assignari qui post auream floruerunt Romanorum sermonis ætatem. Cuius rei causæ quidem variæ sunt (neque semper neque ubique tales viguerunt atque obtinuerunt condiciones), quas in prima huius libri symbola tractat vir doctus Antonius Van Houdt, quarumque quidem princeps videtur fuisse, neque plane immerito, quod, cum agatur de optimo genere dicendi quam optime pueros docendo, nullos nisi optimæ ætatis optimos Latinitatis auctores enarrare et decebat et oportebat. Quæ ratio, cum in dies minutatur horarum numerus Latinæ disciplinæ destinatus, neque suppeditetur tempus ad plures magisque varios scriptores legendos, quadam quidem haud caret gravitate. Tamen non desunt, ut merito monent et luculente demonstrant editores, unaquaque quæ auream secuta est ætate, media scilicet quam vocant, renatarum etiam litterarum sæculo, seriore denique, ad nostra usque tempora, scriptores lectu dignissimi, quibus fuerit meracus Latini sermonis usus, certus scribendi stilus, optimum dicendi genus, haud indignum profecto quo magistrorum nostrorum atque discipulorum allicantur animi studiumque moveatur.


Constat hic liber symbolis tredecim complurium auctorum, quadringentis paginis dispositis, nulla quidem Latine, verum singulis, præter duas Gallice datas, Batavorum lingua conscriptis, quibus varie tractantur quidam renatarum litterarum et etiam recentioris ætatis scriptores, et poetæ et solutæ orationis magistri. Longum est omnia singillatim pertractare, liceat tamen

nonnulla animi causa recensere.

Eminet profecto neque immerito qui renatarum litterarum princeps inter Italos habetur, Franciscus Petrarca, qui quo pacto pedetemptim in re præcipue oratoria medii, quod vocant, ævi reliquerit rationes monstratur, Ciceronisque exempla iamiam in usum revocarit. Neque deest, ut par est, qui in Belgio vetere eminuit philologorum facile princeps, Iustum Lipsium dico, cuius carmina quædam, atque cum alumnis et studiosis commercium variis symbolis illustrantur. Alia autem symbola, exemplo freta Francisci Philelfi, rationes tractat quibus in Italia sæculo xv Græcorum scriptorum thesauri innotuerint Latine versi, eo scilicet consilio, ut quæ ex Græcis essent translata, nihil aliud quam veram Latinitatem saperent. Accedunt denique nonnullæ symbolæ quibus sive solutæ quædam orationis exempla (veluti Busbequi epistulæ vel Olai Magni vel Linnæi scripta) sive poetæ in lucem denuo varii procedunt, notiores inter nostrates, veluti Ianus Secundus, Iulius Cæsar Scaliger, Ianus Dousa, minus noti, sicut Sannazarus, Bernerius, Calcagninus, et, ne recentissimos taceamus, Del Ton, Tusiani, Rädle, aliquique multi.

Præbet igitur hic liber doctum atque utilem conspectum quo nova quædam eademque insolita argumenta in studiorum rationem inducere liceat. Neque desunt ex scriptoribus recentioribus Latina fragmenta scite proposita atque enarrata quæ magistris et studiosis tamquam «manuductio» ad neotericæ Latinitatis evadant disciplinam.

Volfgangus JENNIGES



In hoc fasciculo !

De facie bona [F. Deraedt] p. 1

De bodierno Latinitatis vivæ statu sive de dissensione evitanda [C. Laes] p. 2

De Hierosolymitano nosocomio Ordinis hospitalis [G. Licoppe] p. 5

De Leopoldo M.A. Caldani (1725-1813) [V. Ciarrocchi] p. 8

Refectrix sellarum [V. de Maupassant - Y. Luttilnen] p. 10

De historia aquatica [T. Richard] p. 13

Humanistæ ‘versus’ Christianos [D. Taylor] p. 14

Bibliotheca Latina p. 16

*Imago tegumenti: Hierosolymorum descriptio inter annos 1149 et 1153 confecta,
servata in bibliotheca Cameracensi (Cambrai). Hospitale situm est sub basilica Sancti Sepulcri (sive Anastasi).*

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*
25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Antbea*
Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo
edidit atque illustravit Theodericus Sacrè. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriae narrationes veste Latina
indutæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-
Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et lin-
guisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*
In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsar's navigatio-
nibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam
muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo
Ægyptologo. 12,5 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra
tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Premium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

